

Lebensabriffe einiger Schönthalser Aebte und Conventualen.

283

tentiae et eucharistiae in sacrificio missae frequentaret mirae prudentiae et dexteritatis in agendo, longiori, sine dubio, vita dignus pro his periculosis bellorum Gallicorum temporibus, nisi deus aliter iudicasset. Sepultus igitur in sacello sancti patris nostri Bernardi in sua Valle Speciosa, uti diu et saepe ante petierat, ubi diem et resurrectionem omnium expectat. Eius ossa in demolitione antiquae et extruptione novae ecclesiae ad navim iuxta murum ante epitaphium cum reverentia sunt translata anno 1713*.

Continuatio vitae domini Christophori abbatis, aliunde communicata.**

Rev. dominus Balduinus, abbas resignatus Campi Principum sive Fürstenfeld in Bavaria citans rev. dom. Caramuelem sequentia suis commentariis vel piis et humilibus cogitationibus, ut vocat, in regulam sancti Benedicti cap. 2. de abbate pag. 8. inserit his verbis: „doctissimus Caramuel abbatem quendam in exemplum veri et boni pastoris adducit scribens: memini tui, amicorum optime! quem vidi in scamno dormientem, ne deesset lectus subdito, quod vi regulae illum dare, non habere deberet, et ob eandem rationem suo, ut vidi, in itinere socio, qui suam amiserat, cessisse manicam, quod in regula illum debere religioso concedi, non tamen, etiamsi frigus urserit, habere ab abbate legatur.“ Minuta haec, sed manifesta indicia magni animi volentis ne in parvis quidem a regulae praecepto deviare. Quis autem iste fuerit, nomen illius publicare noluit, quia adhuc vixit. Eundem tamen unus ex patribus senioribus manifestavit fuisse rev. dominum Christophorum, abbatem Schönthalensem, sanctae memoriae dum anno 1645 in Campo nostro Principum per medium circiter annum hospitio uti dignabatur, quem non tantum Caramuel, ut sanctum veneratus est, sed etiam insignis quidam Franciscus miraculum ab hoc sancto viro patratum in nostro monasterio narravit. Testabatur quoque praedictus pater¹ senior Georgius Weinperger, confrater noster, se a viro fide digno audivisse, quod et ipsemet ex ore aliorum seniorum habeo, semel inter hunc sanctum abbatem et eiusdem priorem (p. Petrum Haas) dum de disciplina regulari conservanda collo-

quentur, diabolum visibiliter transiisse, ut discursus pietatem impediret. — Idem repetit praefatus auctor in suo: vestitu deaurato, sive secunda parte commentariorum super regulam s. Benedicti cap. 58. pag. 1532. lect. 5. his verbis: „Incidit hic, quod scribit rev. d. Caramuel: sane dum haec scribo (ait) tui memini amicorum optime (subintelligens, ut ipsemet hic in monasterio nostro Campo Principum interrogatus respondit, rev. dominum abbatem Schönthalensem Christophorum, quem dictus Caramuel, nec non plures alii et inter alios etiam meus antecessor piissimae memoriae abbas Martinus pro sancto habuerunt, qui mihi similia de isto domino abbate (Christophoro) narravit: „diabolus, dum cum priore suo (p. Petro Haas) de disciplina regulari loqueretur, per medium ipsorum ivisse, ut discursum tam sanctum impediret, sicut et litterae de ipso ab aliquo seniorum nostrorum quasi reliquiae sunt custoditae, quem vidi (ait Caramuel) in scamno dormientem, ne deesset lectus subdito, eo quod vi regulae illum dare potius, quam habere deberet; et ob eandem rationem suo, ut vidi, in itinere socio, qui suam amiserat, cessisse manicam, eo quod illum debere religioso concedi, non tamen, etiamsi frigus urserit, haberi debere ab abbate legatur. Minuta sunt haec, sed manifesta indicia magni animi volentis, ne in parvis quidem a regulae praecepto deficere.“ — Memorabilia* sunt, quae ipse dominus Christophorus de se et aliis duobus patribus defunctis narrat in suis diariis sive annalibus his verbis: „anno 1654, die 12 Martii, p. Richalmus Schwarz** propter phrenesin hypocaustulo iuxta distillatorium inclusus, ibidem sub noctem ignoto ignis incendio concrematus et extinctus mane reperiebatur. Eadem die et hora scilicet nona vespertina sive nocturna obiit in sua parochia Axheim prope Augustam Vindelicorum pater Simon Gertner, qui anno 1639, die 6. Maii, ex Speciosa Valle dimissus fuerat. Utriusque facies tristissima et horrida mihi abbati lectum hora nona ingredi cupienti simul et iunctim apparuit, tunc ignorantem, quid ageretur.“ Huc usque Christophorus. Veritatem visionis amborum patrum exitus ex hac vita eadem die et hora

* Dieser Ausdruck erinnert an den Titel von Kremer's Werk: series abbatum et memorabilia.

** In der Biographie des P. Richalm Schwarz, welche ohne Zweifel P. Angelus Lebensreit verfaßt hat, findet sich diese Vision nicht. Es ist daher nicht unwahrscheinlich, daß Abt Christoph Hahn seine Tagebücher weder dem P. Kremer, noch dem P. A. Lebensreit mitgetheilt hat, und daß erst nach Hahn's Tode der Abt Knittel dieses Tagebuch von den Biographen Joseph Müller und Rich. Stäfflein benutzen ließ.

¹ pater noster, S.

* Da Joseph Müller den 20. Mai 1703 starb, so muß dieser Schluß von Richalm Stäfflein verfaßt sein.

** Diese continuatio aliunde communicata scheint in Fürstenfeld, Landger. Bruck in Oberbaiern, verfaßt worden zu sein, und wurde von Richalm Stäfflein nach 1698, als er seine vita schon verfertigt hatte, hier abgeschrieben.